

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS PARTICULARIBUS CLERICORUM.

63. Agemus hic tantum de particularibus officiis eorum clericorum qui beneficium ecclesiasticum oblinuerunt, et specialim parochorum vel eorum qui parochos coadjuvant. Haec enim aliquatenus nosse omnibus necessarium est magisque ad forum conscientiae pertinet. Supersedebimus vero exponendis obligationibus episcoporum et canonicorum : nam argumentum illud amplissimum rarius confessariis usu venit, neque accurate exponi potest absque multis declarationibus quae directe ad forum externum spectant. Praestabit ergo ista **Juris Canonici** paelectionibus relinquere.

§ I. DE BENEFICIATIS.

Punctum I. De natura beneficiorum.

64. DEFINITIO. Beneficium ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis provenientes, propter officium spirituale cui jus illud auctoritate ecclesiastica est adnexum. Hinc, ut explicat cl. Aichner (Comp. Jur. Eccl. § 76), ad notionem beneficii requiruntur haec quattuor :

1º *Officium ecclesiasticum* seu sacrum, ut ministerium altaris, pensum canonicum, jurisdictionis exercitium, etc. Hinc beneficia non sunt ministeria profana, quae etiam laici obire possunt, ex. gr. aeditui, organaedi, etc. Quippe soli clerici beneficii obtinendi capaces sunt.

2º *Jus percipiendi redditus ecclesiasticos*, qui fructus beneficii dici solent. Ideo Rector, Provincialis Regularis, etc. officium et dignitatem, non autem beneficium habent.

3º *Perpetuitas* in dupli sensu : tum ratione beneficii, tum ratione beneficiati. Nempe beneficium in perpetuum *constituendum* est ita ut, mortuo vel amoto beneficiato, non extinguatur, sed vacet tantum donec alteri conferatur : qua condicione differt a pensione quae morte pensionarii extinguitur. Beneficiatus vero beneficium suum accipere debet in perpetuum seu in dies vitae, ita ut illo privari nequeat absque gravi et justa causa. Ideo proprie beneficiati non sunt qui obtinent beneficia ad nutum revocabilia (ut parochi succursales in Belgio), vel qui gerunt

CAPUT III. DE OBLIGATIONIBUS PARTICULARIBUS CLERICORUM. 65

administrationes quae morte concedentis exspirant, ex. gr. vicarius generalis aut officialis episcopi.

4º *Interventus auctoritatis ecclesiasticae*, redditus ex bonis fundatis officio spirituali adnectentis, ac praeterea in titulum beneficii erigentis. Ideo non omnis fundatio Missarum in perpetuum stabilita et sacerdoti commissa naturam beneficii babet. Nam videndum num episcopus illam fundationem per formale decretum in titulum beneficii erexerit.

65. DIVISIO. Beneficia potissimum dividuntur in :

1º *Majora* et *minora*, prout jurisdictionem ecclesiasticam pro foro externo adnexam habent (ut episcopatus), vel eadem carent.

2º *Simplicia* et *duplicia*, prout solum officium habent (obligationem recitandi Horas Canonicas vel Missas celebrandi), vel praeterea adnexam habent curam animarum, dignitatem, praeminentiam, etc. Inter duplia praecipuum locum tenent beneficia *curata*, ex. gr. parochialia.

3º *Perpetua*, quae sola proprie dicta beneficia sunt, et *manualia*, seu modo amovibili concessa.

4º *Electiva*, *collativa* et *patronata*, pro vario modo quo conferri solent : nempe per electionem alicujus collegii, puta Capituli cathedralis vel collegialis ; per collationem libere factam a praelato, puta ab episcopo ; per presentationem factam ab eo cui Ecclesia hoc jus concessit. In Belgio aliisque pluribus regionibus jam nullus electioni vel patronatui locus est : sedes episcopales a Romano Pontifice, reliqua beneficia ab episcopis libere conferuntur.

Punctum. II. De obligationibus beneficiatorum.

66. I. Provisi de beneficiis quibuscumque curatis vel de canonicatu aut dignitate in ecclesia cathedrali, tenentur *emittere professionem fidei ea ratione* quae explicata est Vol. I. n. 196.

II. Tenentur omnes beneficiati *canonicum officium persolvere* sub pena speciali de qua dictum est n. 47, III.

III. Tenentur ex justitia *ad obeunda munera varia* quibus officium ipsorum constat. Id regulariter per seipso, non per substitutos agere debent, praesertim in beneficiis curatis, ut parochialibus. Quare graviter delinquent parochi qui omnem populi curam in coadjutores suos rejiciunt : nam in talibus muneribus requiritur industria personalis. Neque ipsi canonici, etiam ex immemoriali consuetudine, per vicarios choro adsistere et psallere possunt. Quandoque tamen ex speciali privilegio alium sibi substituere conceditur. (Aichner, op. cit. § 87)

IV. Tenentur *lege residentiae* omnes beneficiati, iis tantum exceptis qui beneficium simplex possident, cuius obligationes nullatenus personalem residentiam postulent, ex. gr. si Missae tantum celebrandae sint, neque fundator expresse caverit ut a beneficiato personaliter celebrarentur. (D'Annib. III. n. 69) Quicumque igitur residentialis beneficium obtinent, obligantur ad commorandum in loco beneficii, ita ut officiis personalibus beneficii sui fungi possint et reapse fungantur. Hanc obligationem in beneficiis curatis juris divini esse multi Theologi existimant. Cfr. Trid. Sess. 23. c. 1. de ref. Attamen, cum magnum sit discrimen inter munera personalia ad quae beneficiati obligantur, non omnes eadem severitate afficit *lex residentiae*. Cfr. Trid. Sess. 24. de ref. c. 12. et infra n. 69.

V. Regulariter singuli beneficiati *unum tantum beneficium possidere* possunt. Hanc regulam antiquissimam et pluribus statutis Conciliorum vel RR. PP. inculcatam, iterum *gravibus* verbis proposuit Conc. Trid. (Sess. 24. de ref. c. 17) Permissum tamen est a Trid. (l. c.) ut si unum illud beneficium ad vitam ejus *cui confertur* honeste sustentandam non sufficiat, idem aliud simplex sufficiens *obtinere* possit, dummodo utrumque personalem residentiam *non requirat*. Tertium tamen beneficium *obtinere*, etiamsi duo priora vitae *sustentandae* non sufficient, nemini licet sine speciali S. Sedis dispensatione. (Aichner, op. cit. § 88) Haec regula, quae olim a tot cupidis clericis *magno* cum scandalo violari solebat, hodie, in nostris regionibus, *nulli* difficultati locum praebet, cum pauca maneant beneficia simplicia, et ipsa curata tenuissimis redditibus gaudent.

§ 2. DE PAROCHIS EORUMQUE ADJUTORIBUS.

Punctum I. De natura *muneris parochialis*.

67. Parochus definitur : *Clericus* qui a legitima auctoritate constitutus ad gerendam curam *animatorum* in certa quadam dioecesis parte, cum obligatione reciproca ut *iudem* dioecesani aliqua saltem sacra ab eo recipient. (De Braband. Jus Can. t. I. p. 329) Huic definitioni elucidandae juvabunt sequentes animadversiones :

1º Ut quis parochi munus *obtinere* possit, sufficit esse clericum et 24 annos complexisse ; intra annum *tamen*, presbyteratus suscipiens est. (6ⁱ Decr. l. 1. t. 6, c. 14)

2º Jurisdictio parochi est *unice* fori interni : scil. nequit ullam leges parochianis suis indicere, nec *judicium* canonicum instituere aut cen-

suras ferre. Est tamen ordinaria, quia datur ipsi vi muneris, sine ulla alia concessione, neque alieno, sed proprio nomine curam *animatorum* gerit. Nempe ipsum *Jus Canonicum* quasdam facultates determinat tamquam muneris parochialis proprias, ex. gr. jurisdictionem fori interni ad audiendas parochianorum confessiones.

3º Munus parochiale adstringitur certo loco, et complectitur illos fideles omnes qui in iis limitibus quos episcopus determinaverit (Trid. Sess. 24. de ref. c. 13) continentur, exceptis tantum domibus stricte regularibus. Cfr. n. 105.

4º Regulariter officium parochi conferendum est in perpetuum et per modum veri beneficii, ita ut auferri nequeat nisi per processum judiciale et ex causis in Jure determinatis. Nihilominus illa perpetuitas non est de essentia muneris parochialis. Hoc igitur exsistere potest ubi omnes vel saltem plures clerci, qui *animatorum* curam gerunt, removeri possunt ad nutum episcopi.

5º Ad essentiam hujus muneris requiritur : ex parte parochi, potestas curandi salutem certi numeri fidelium (quocumque tandem modo is numerus determinetur) per media fori interni propria, et obligatio hujus curae exsequendae ; ex parte vero eorumdem fidelium, obligatio suscipiendo quaedam saltem sacramenta a parochio suo. (De Braband. l. c. p. 328)

68. Munus parochiale a IIIº vel IVº saeculo in ecclesiis ruralibus vigere coepit, in civitatibus autem, excepta Roma et Alexandria, a saeculo XIº tantum. Hinc satis liquet munus illud non esse juris divini, sed lege ecclesiastica introductum esse ob eximias utilitates quae ex hoc stabili vinculo unius sacerdotis cum certo populo oriuntur.

Hodie in omnibus regionibus catholicis, exceptis locis Missionum, parochiarum institutio facta est. In Belgio, perinde atque in Gallia, veri nominis parochi sunt ii omnes qui cum hoc titulo nominantur, seu *prima*, seu *secundae classis* dicantur : nam distinctio ista, inventa famosis *articulis organicis* quos Napoleo I Concordato suo addidit, spectat tantum ad rationem dotis pinguioris vel tenuioris quam Status parochis tribuit. Insuper, licet quidam hoc in dubium vocaverint, veri quoque parochi sunt *succursalistae* (*desservants*) : quibus proinde eadem sunt officia et jura ac reliquis parochis, una tantum inamovibilitate excepta. Cfr. Craisson, Man. J. Can. n. 1318 seqq.

In Stat. Foed. Amer., licet generatim non exstant paroeciae proprie dictae, episcopi, e decretis Conc. Balt. II (n. 123 seqq.) et III (tit. VI. c. V) paulatim viam sternunt ut dioeceses suas communi formae regionum catholicarum accommodent. Nam statutum est ut "districtus quidam, paroeciae instar, descriptis accurate limitibus, unicuique ecclesiae

assignetur, ejusque rectori jura parochialia vel quasi-parochialia tribuantur. „ (Conc. Balt. II. n. 124) Insuper decretum est (Conc. Balt. III. n. 33 seqq.) ut per concursum nominentur in singulis dioecesibus quidam rectores missionum *inamovibiles*. Hi ceterique missionum rectores territorium sibi commissum, paroeciarum instar, regere debent. Attamen, cum generatim missiones illae nondum sint in parochias erectae, neque illi sacerdotes parochi proprie dicti sunt. Pleraque igitur habent parochorum jura et officia; ad Missam tamen pro populo celebrandam nondum, stricto officio, tenentur. Cfr. Nilles, Comm. in Conc. Balt. part. I. p. 201 seq.

Punctum II. De praecipuis parochorum obligationibus.

69. I. *Lege residentiae*, et quidem stricte, tenentur parochi. (Trid. Sess. 23. de ref. c. 1.) Nempe :

1º Degere debent non tantum inter parochiae fines, sed in ipsa domo parochiali, ut e pluribus decisionibus S. C. C. patet: quodsi haec domus deficiat vel instauranda sit, manere debent in domo ecclesiae propinqua.

2º Etiam ad breve tempus, parochiam suam relinquere non possunt, nisi causa ab Ordinario probata et discedendi licentia in scriptis obtenta, constitutoque interim vicario idoneo ab ipso Ordinario approbando. Immo commendat Trid. (l. c.) ne licentia discedendi ultra bimestre tempus ipsis concedatur nisi ex gravi causa.

3º A statutis singularum dioecesum pendet num ad paucos dies abesse ipsis liceat, non petita episcopi licentia. (Aichner, op. c. § 87) Ita in Mechlin. (Stat. Syn. n. 78), nullus parochus ultra quinque dies a parochia abesse potest, nisi de licentia Decani sui; quodsi ad octiduum vel ultra debet abesse, opus habet licentia Ordinarii.

II. Parochis praescribitur a Trid. (Sess. 5. de ref. c. 2) ut "per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, saltem Dominicis et festis sollemnibus, plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitatem, pascant salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem annuntiandoque eis, cum brevitate et facilitate sermonis, vitia quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant. „ Quibus verbis perspicue declaratur quandonam haec *praedicandi verbi Dei obligatio* urgeat, et qua ratione sit adimplenda. Notandum tamen, ex decreto S. C. C. (1 Apr. 1876), episcopi prudentiae relinqui ut ab hac ordinatione in aliquibus sollemnioribus diebus dispensem.

Certum est non committi peccatum grave a parocho qui, sine justa causa, semel vel bis praedicare omiserit. S. Alph. (l. 4. n. 269) tamquam

CAPUT III. DE OBLIGATIONIBUS PARTICULARIBUS CLERICORUM. 69

satis probabilem habet opinionem: ad grave peccatum requiri et sufficere ut hoc munus neglegatur per tres menses discontinuos in anno. Alii tamen (ut Ball. P. de 4º praec. Dec. n. 83) advertunt ex argumento hujus sententiae potius sequi gravem esse omissionem per tres continuos menses. Nititur enim Tridentini verbis (l. c.): "Ubi ab episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu alias, ad ipsius episcopi arbitrium, cogantur...." Nam manifestum est hanc poenam gravem infligendam esse iis qui per tres continuos menses muneri suo defuerint. Attamen quandoque, ob scandalum vel spirituale damnum populi ignorantis et concionum penuria laborantis, posset gravis culpa minoris temporis omissione admitti: sed haec culpae gravitas non directe e sola lege positiva oritur. (Berardi, de Parocho, n. 145)

Videtur parochus satisfacere explicatione catechismi, dummodo haec non ad pueros tantum, sed ad reliquos etiam dirigatur et quaedam admisceantur de doctrina N. T., de virtutibus et vitiis. Nam haec simplicior instructio respondet dotibus, quas in parochiali praedicatione Trid. requirit. (Ball. P. l. c.) Non satisfacit vero qui scripta tantum legit: siquidem haec non est praedicatio, de qua communiter intelleguntur verba Tridentini. Attamen si, ob labilem memoriam, aliter facere nequiret, posset, praesertim cum assensu episcopi, concessionem a se scriptam populo paelegere. (Berardi, l. c. n. 121)

Hie quoque attendenda statuta dioecesana, quae saepe plura requirunt, puta ut catechismus tradatur, instructiones sub Sacro fiant, etc.

70. III. Parochi debent *pro grege celebrare diebus Dominicis et festis*: de qua obligatione dicetur n. 225 seqq.

IV. Parochi tenentur *sacra menta gregi suo ministrare*. Cfr. n. 119.

V. Parochi debent, per media fori interni propria, *disciplinae ecclesiasticae vigorem in grege suo custodire*. Propterea obligantur ad vigilantiam pastoralem, qua mores suorum paroecianorum perspectos habeant, et ad paternam admonitionem seu correctionem delinquentibus dandam. Cfr. dicta Vol. I. n. 219, II. Notandum tamen temporibus nostris saepe adesse causam excusantem in perspecta correctionis inutilitate. (Aichner, op. cit. § 128)

VI. Parochi debent *visitare infirmos*, praesertim graviore morbo laborantes. Cfr. Rit. Rom. t. V. c. 4. de visitat. et cura infirmorum. Tenentur ergo ad eos adeundos etiamsi nondum invitati fuerint, nec semel tantum, sed saepius. (Rit. Rom. l. c.) Praesertim vero, ingraves-

cente morbo, frequentius eos invisere et ad salutem juvare debent. (ib. c. 5. Modus juvandi morientes) Non censemus tamen eos universim sub gravi obligari ut moribundis, qui jam sacramentis rite muniti sint et se bene dispositos prodant, per se vel per alium in extremo agone assistant. Nam de gravitate obligationis illius, quam Rit. Rom. certe imponit, interrogata S. C. C. respondit (23 Mart. 1879) : " Standum praescriptionibus Ritualis Romani; in reliquis consulat probatos auctores. „ Quandoque tamen gravis obligatio oriri posset: nempe si ageretur de homine peccatis assueto, qui magno periculo in peccata relabendi neque poenitendi exponeretur, nisi parochus ei ad finem usque assistat ut eum ad contritionem hortetur et absolutionem iterum concedat." (Lehmk. II. n. 647) (1)

Sed hic quoque attendendum ad paroeciarum extensionem et ad cetera parochi munera: quae si plurimum oneris afferunt, facilius excusabitur parochus si ea quae Rituale prescribit non omnino ad amissim impleat. Haec tamen ratio numquam sufficiet ut regulariter curetur tantum de ultimis sacramentis ministrandis, nullatenus vero de infirmis postea visitandis vel in extremo agone juvandis.

Punctum III. De parochorum adjutoribus.

71. I. Parochorum adjutores duplices sunt speciei. Piores dantur parochis, etiam invitatis, ab episcopo ad supplendum aliquem ipsorum defectum quo ferendis oneribus parochialibus impares sint, puta morbum, senium, inscitiam, etc. Postiores adjunguntur parochi qui nullatenus incapax est muneris sui implendi, sed populo tam numeroso praeest ut solus illius curam agere nequeat. De his tantum loquemur, qui frequentius occurunt: piores enim, saltem quando parochus jam nullis muneris sui partibus implendis aptus est, fere jura et officia ipsorum parochorum habent.

II. Coadjutores, seu (ut in Belgio dici solet) *Vicarii*, spectata lege antiquiore (Trid. Sess. 21. de ref. c. 4) ab ipsis parochis assumendi erant, ab episcopo examinandi et approbandi. " Hodie tamen eorum tum deputatio, tum amotio in plerisque locis ad episcopum spectat. Et haec praxis, sicut indigentiis hujus temporis respondeat, ita et juri canonico non adversatur. " (Aichner, op. cit. § 129)

(1) De parochorum iuribus ex professo agere ad forum externum et Jus canonicum pertinet. Quae de iis in praesenti opere passim occurrant, monstrat Index analyticus, ad verbum *Parochus*. De his videsis fusius disserentem Berardi in utili opere suo: De Parocho.

III. Idem coadjutores, cum ad confessiones in tota dioecesi audiendas approbati sint, nulla parochorum licentia ad parochianos absolvens indigent. Quoad reliquas vero facultates, non ubique eadem viget praxis. Nam quandoque ipsis per episcopi decretum generaliter committuntur cura animarum et administratio sacramentorum: quo facto, possunt, absque delegatione sui parochi, valide matrimonii assistere et subdelegare tamquam delegati ad universitatem causarum. Cfr. Vol. I. n. 119. Sed quandoque parochi committitur ut eis concedat eas tantum facultates quas expedire judicaverit: quo in casu, nihil possunt nisi quod ipsis expresse vel tacite concessum fuerit.

IV. Obligatio coadjutorum erga parochum complectitur praesertim haec duo:

1º Diligens subsidium in cura animarum, nempe quatenus iis uti volet parochus, cui semper licet functiones quaslibet sacri ministerii personaliter obire.

2º Oboedientiam qua non tantum parochi jussa in sacro ministerio exercendo exsequantur, sed etiam in universa sua agendi ratione ipsius directioni uniti et subditi maneant, nec quidquam novi alicujus momenti, parochi inconsulto aut invito, moliantur. (Aichner, l. c.) (1).

SECTIO III. — DE OFFICIIS RELIGIOSORUM.

CAPUT I.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

72. I. Status religiosus idem est ac *status acquirendae perfectionis*.

Perfectionis nomine hic intellegitur ille gradus caritatis, quem potest attingere creatura mortalis quae a se removit omnia divini amoris impedimenta et se totam Dei obsequio consecravit. Distinguendus est omnino ille status a *statu perfectionis exercendae*, qui ex se, propter opera perfecta ad quae obligat, requirit hominem jam perfectum: in quo adae-

(1) Omisimus hic de privilegiis generalibus clericorum vel specialibus episcoporum agere: quod argumentum ut proprium sibi vindicant Canonistae. Quae de eo obiter in operis decursu tractentur, videsis in Indice analytico ad verba *Privilegia clericorum* et *Privilegia episcoporum*.